



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Homines morti obnoxios, etiam morbis obnoxios esse oportere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Diuos non temnerent, plurisque facerent sacras peregrinationes; nonnullos etiam, ut pedibus irent in sententiam Catholicorum. Vnius ergo pedis iactura, saluti fuit multis; fortasse etiam illi ipsi, qui pedem amisit; ut pietatem inueniret.

CAPVT XV.

Primam morborum causam, esse ipsam hominis naturam.

I.

Sed vulneribus, tamquam extraordinarijs morbis, omifsis, paulò altiùs & vniuersim morborum causas expendamus, quarum prima est hominis Natura. Constamus enim ex elementis, æternam inter se pugnam conferentibus. Hinc natura mortales sumus, &

Frigida dum calidis pugnant, humentia siccis,

Ouid. lib. 1.

Metam.

2. Reg. 14. 14.

Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram. Itaque seu calor in nobis exæstuet, seu exuperet frigus, seu humiditate nimia intumescamus, seu exarescamus nimia siccitate, semper malè valemus; nec fieri potest, ut vlla arte iustum sanitatis temperamentum non tandem deficiat, si de arte humana loquamur, ac

Chrysipp. 1 4.

περί πρῶτας

apud Gell.

lib. 6. cap. 1.

Noct. Attic.

naturali. Natura enim non est supra naturam. Acutè Chrysippus tractat, consideratq; dignumq; esse id quæri putat, ei ai τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται id est, naturane ipsa rerum, vel prudentia, qua compagem hanc mundi, & genus hominum fecit, morbos quoq; & debilitates & agritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit? existimat autem, non fuisse hoc principale natura consilium, ut faceret homines morbis obnoxios: nunquam enim hoc conuenisse natura auctori, parentiq; rerum omnium bonarum, sed quum multa, inquit, atq; magna gigneret, pareretq;, aptissima, & utilissima: alia quoq; simul agnata sunt incommoda, is ipsis, qua faciebat, coherentia: eaq; non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit. Quod ipse appellat κατὰ παρακολούθησιν. sic, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior & utilitas ipsa operis postulauit, ut tenuissimis, minutisq; ossiculis caput compingeret. sed hanc utilitatem rei maioris alia quadam incommoditas extrinsecus consecuta est; ut fieret caput tenuiter munitum, & ictibus, offensionibusq; paruis fragile. Proinde morbi quoq; & agritudines parua sunt, dum salus paritur.

ritur. Paulò hæc clariùs scribit Lactantius, dum ait: *Queruntur, hominem morbis & immatura morti esse subiectum. Indignantur videlicet, non Deos se esse natos. Minime, inquit; sed ex hoc ostendimus, hominem nulla providentia esse factum, quòd aliter fieri debuit. Quid si ostendero, id ipsum magna ratione provisum esse, ut morbis vexari posses, & vita sepe in medio cursu sui spatio rumperetur? Cùm enim Deus animal, quod fecerat, sua sponte ad mortem transire cognovisset, ut mortem ipsam, qua est dissolutio natura, capere posses; dedit ei fragilitatem, qua morti aditum ad dissoluendum animal inueniret. Nam si eius roboris fieret, ut ad eum morbus & egritudo adire non posses; ne mors quidem posses; quoniam mors sequela morborum est. Hæc ille.*

Chrysippus autem loco citato. *Nihil est prorsus istis, inquit, imperitius, nihil inspidius, qui opinantur, bona esse potuisse, si non essent itidem mala: nam quum bona malis contraria sint; utraq; necessarium est opposita inter sese, & quasi mutuò aduersòq; fulta nisu consistere. nullum adèò contrarium esse sine contrario altero. quo enim patet iustitia sensus esse posses, nisi essent iniurie? aut quid aliud iustitia est, quàm iniustitia privatio, sens oppositio? quia iniustitia potius iustitia privatio est appellanda. Quid item fortitudo intelligi posses, nisi ex ignavia oppositione? quid continentia nisi ex intemperantia? quo item modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? proinde, inquit, homines stulti, cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, & non sit mendaciù? namq; inde sunt bona & mala, felicitas, & infortunitas, dolor & voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrarijs deligatum est. sustuleris unum; abstuleris utrumq;. Ita ferè etiam argumentatur Christianus Cicero. *Immatura mors quo modo abesset ab eo, cui esset constituta natura? Nempe nullum hominem mori volunt, nisi cùm centesimum aetatis compleuerit annum? Quomodo illis, in tanta repugnantia rerum ratio poterit constare? Ut enim ante annos centum mori quisq; non possit; aliquid illi roboris, quod sit immortale, tribuendum est. Quo concesso, necesse est, condicionem mortis excludi. Id autem ipsum cuiusmodi potest esse, quod hominem contra morbos, & ictus extraneos solidum, atq; inexpugnabilem faciat? Cùm enim constet ex ossibus, & nervis, & visceribus, & sanguine; quid horum potest esse tam firmum, ut fragilitatem repellat ac mortem? Ut igitur homo non dissolubilis sit ante illud tempus, quod illi putant.**

Lactant. lib.
de opificio
Dei. cap. 4.

II.

Gell lib. 6.
cap. 1.

Lactant. loc.
cit.